





QK 23(II)

I, 268.

de Mauritiū Duo. Saxon. in ead  
et Academiam Lipsiensem anno 1543.  
et de iis quae 1543. in causa reli-  
gionis acta sunt.

Vc

2771

RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIENSIS  
AD  
INSTAVRATAE  
RELIGIONIS EVANGELICAE  
MEMORIAM  
ANNIVERSARIO SACRO  
PRIDIIE CAL. NOV. A. CCCCCXLIII  
IN AEDE PAVLINA  
CELEBRANDAM  
INVITAT





uae ; Reformationis seculi tertio et quadragesimo anno, acta sunt, scriptio  
nem hac referre, secularemque  
adeo illorum memoriam renouare,  
nobis est constitutum. Ad ea au-  
tem cum maxime animum aduertere,  
iuuat, quae, coepio superioribus an-  
nis, sacrorum his in regionibus instauracionis operi perfic-  
iendo, emendataeque doctrinae firmandae et ad posterita-  
tem propagandae, hoc ipso anno, praesidia accesserunt atque  
adiumenta. Nec enim res omnes, quae ad reformatio  
nistarum pertinent, isthoc anno gestas, enarrare, program-  
matis huius limites patiuntur. Silentio igitur transire nos  
oportet Caesarem inter Principesque euangelicos confoe-  
deratos in comitiis, Norimbergae ac Spirae celebratis, tum  
per legationes aliquot, acta ; Camerae item iudicialis Spi-  
rensis, de cuius iniuria toties ac tantopere conquesti fue-  
rant Protestantes, nunc tandem, sed, ut euentus docuit,  
simulate suscepitam visitationem ; quaeque ab his cum in  
conuentibus Smalcaldiensi et Francofurtensi, tum alias, pro

A 2

tuenda

tuenda euangelica religione, institutae sunt, consultationes. Omittenda etiam est commemoratione eorum, quae HERMANNVS, ex illustri Comitum de WIDA gente, Archipraeful Coloniensis et S. R. I. Princeps Elector, laudabile, quod animo conceperat, curae sue demandatas ecclesiis reformati persecuturus institutum, magno conatu studioque, eodem hocce anno, egit; neque adeo, de quibus pluribus exponendum foret, agitata eo nomine cum MART. BVCERO, PHIL. MELANCHTONE et IO. PISTORIO consilia, conscriptam, editamque reformationis formulam, ortasque inde cum Canonicorum collegio et clero Coloniensi recensere licet concertationes. Tacendum quoque nobis est de sacrorum emendatione, in Comitatu principaliter Hennebergico suscepta, quae quidem feliciorem, ac Coloniensis illa, habuit successum. Quare adeo his, ceterisque, in religionis negotio, ante hos ducentos annos, gestis praetermisss; quae quidem omnia atque singula, praeter IO. SLEIDANVM, \*) Per illustris SECKENDORFIVS, more suo, hoc est, ex authenticis documentis, accurate, copioseque enarravit; \*\*) ad propositum veniemus, et summa atque immortalia, quibus Dux Saxo, MAVRITIVS, Ecclesiae, Academiaeque nostrae commodis ac perennitati, tertio et quadragesimo, supra millesimum et quingentesimum, anno, prospexit, benefacta exponemus.

## Quam

\*) Commentarior. de statu relig. et reip. Carolo V Caesare, libro XV,  
p. 418, sqq.

\*\*) Commentar. de Luteranismo, lib. III, a § 102 usque ad § 177,  
p. 416, sqq. De HERMANNO, Archiep. Colon. et nequicquam ab eo tentata reformatione pluribus agit PETR. BAY-  
LE, Dictionar. Hist. et Crit. T. IV, p. 503, sqq.

Quam felix atque fortunata, nono ac tricesimo seculi XVI anno, in his regionibus, post GEORGII obitum, ad fratrem HENRICVM hereditario iure delatis, quoad religionis statum, singulari DEI nutu ac benignitate, rerum contigerit conuersio; quoque studio id egerit euangelicae veritati addictissimus, excellentissimaque pietatis laude immortalitati consecratus Princeps, vt, depulsis perniciosissimorum errorum tenebris, abrogatoque cultu omni superstитioso, salutari, B. LUTHERI ministerio restituta, euangelii doctrina, sacrisque emendatis, in fidem atque clientelam suam receptas prouincias bearet, nostrum neminem ignorare patiuntur *Eucharistica Sacra*, quatuor abhinc annis, eo nomine solemnri ritu celebrata. Maximi autem huius sempiternumque celebrandi operis rite iactis fundamentis, perfectionem illius, senio iam confectus, nec ita multo post placida beataque morte rebus ereptus humanis, HENRICVS PIVS, filiis, MAVRITIO et AVGVSTO, reliquit. Ex his igitur natu maior, imperio potitus, ad rem sacram constituantem, saluberrimisque legibus et institutis stabiendi, hoc in primis tertio et quadagesimo anno, animum conuertit. Testis est *Constitutio prouincialis*, die Lunae p. Trin. h. a. promulgata, \*) eximiam prorsus MAVRITII, in re ecclesiastica, scholasti-

A 3

ca et

\*) Typis euulgata ea est, e. a. Lipsiae, per Nic. Wolrabium, in fol. et 4. hoc insignita titulo: *Des Durchlauchtigen Hochgeborenen Fürsten und Herrn, Herrn Morigen, Herzogen zu Sachsen, Landgraven in Düringen, vnd Marggraben zu Meissen, dreier Schulen, vnd in etlichen andern Artickeln Neue Landsordnunge.* 1543. Extat illa ipsa in *Corpo Iuris Saxon.* P. I, p. II, sqq. et in *Codice Augusteo.* T. I, P. I, p. 13, sqq.

## VI

ca et academica bene prudenterque ordinanda, eusam prouidentiamque multis modis confirmans.

Etenim initio statim Superintendentes, pastores, ecclesiaeque ministri grauiter admonentur, vt officio suo summa fide diligentiaque fungantur, animarum curae, ipsis demandatae, omni animi contentione incumbant, vera doctrina christiana pariter, atque exemplo suo, populum instituant, et ad preces, charitatisque opera sedulo cohortentur; \*) tum vero, contumaciter peccantes, iusto seruato ordine ac modo, ecclesiae communione excludere, iidem iubentur. \*\*) Iurisdic<sup>t</sup>io ecclesiastica cum ea tempestate adhuc esset penes Episcopos, Misnensem et Martisburgensem,

\*) Verba textus authentici sic habent: Dieweil denn - - - - - wollen wir alle Superattendenten, Pfarrer vnd Kirchendiener in vnsern Landen, ernstlichen ermanet haben, dasz sie jres ampts mit trewem vleis wahrnehmen, die jnen besohlene Seelsorge nach jrem hochsten vormodgen ausrichthen, das Volk mit rechtschaffenen Christlichen Lahren und Erempeln unterweisen, zu dem Gebete, vnd den Wercken Christlicher Liebe vleissig vermanen, vnd sich darinn allenthalten vnstresslich halten, denn sie haben leichtlich zu ermessen, do jrethalben, beyde, an der Lahr vnd Erempeln, einicher mangel gespurt, was ergerlicher schaden vnd nachtheil daraus erfolgt.

\*\*) Sie sollen auch das Volk mit vleissigem anhalten, zu der Busse vermanen, und öffentliche Laster, erstlich durch Christliche Lahre und vermahnung straffen, und do dasselbige bey erlichen in verachtung gestellet, sollen sie dieselben mit vorwissen eines jeden Orts Obrigkeit, durch den rechtschaffenen Christlichen Vann (welcher alleine dieser vnd keiner andern gestalt soll gebraucht werden) von der Gemeine sondern vnd ausschliessen ic.

sem; hi vero res, ad ipsos, eorumdemque consistoria, eo nomine pertinentes, non pro eo, ac par erat, curarent; Serenissimus Princeps, hac in constitutione, declarat, se quidem vtrumque praefulem, vt officium suum facerent, et ad sacram litterarum prae scriptum cuncta gererent, per quosdam Ordinum prouincialium delegatos monuisse; renuentibus autem illis, constitutum sibi esse, ea, quae muneric adhuc fuerint episcopalis, delectis aliquot committere viris, vt illa ipsa, quoad res ecclesiasticas pariter, atque causas matrimoniales, debito modo, verboque Dei conuenienter, in regionibus suis administrarent. \*) Atque hoc ipsum mox effatum dedisse MAVRITIVM, ex eo quod SECKENDORFIVS

\*) In ipsa Constitutione hisce id exponitur verbis: Es tragen sich bey vnsern Seiten allerley vruchtigkeit in der Kirchen zu, unter andern, daß sich zwei Personen mit einander zu der Ehe vorsprechen, vnd auff der Cangel offentlich auffbieten lassen, vnd denn einander die Ehe wider auff sagen, So ist auch niemand, der die Kirchen visitiert vnd darauff achtung giebt, wie das Pfarramt gehalten wird, Welches sich alles daher verursacht, daß die Bischoffe ihr Amt nicht recht brauchen, vnd dem an keinem ort genug thun, Weil wir denn von vnserer Landtschafft Ausschus unterhening angelangt, daß wir bis einsehen thun wolten, daß die Bischoff in vnsern Landen, je Bischoflich ampt vnd Consistoria Christlich vnd der Götlichen Schrift gemes ubeten vnd hielten, haben wir die beide Bischoff, zu Meissen vnd Merseburg, durch etliche desselbigen Ausschus, ires Amtes trewlichen vnd vleissig erinnern lassen, Weil sie aber darzu nicht zu vermögen, werden wir verursacht, etlichen Personen aufzulegen, imm vnsern Landen das Bischofliche Amt, mit der Visitation vnd sonst Christlich, heiliger Götlicher Schrift gemäß auszurichten, ic.

### VIII

FIVS tradit, \*) apparere videtur, siquidem is mandatum profert, quarto, post promulgatam constitutionem illam, mense, die videlicet altero ac vicesimo Septembris, a laudissimo Principe ad nouemuiros Lipsienses, AMBROSIVM RAV, ad D. Thomae Praepositum, D. LVDOV. FACHSIVM, IOH. SAVERVM, ALEXANDR. ALESIVM, IOH. SCHEFFELIVM, IOH. PFEFFINGERVM, Superintendenterem, IOACH. CAMERARIVM, BERNH. ZIGLERVM et CASP. BORNERVM, datum; quo, de sincero suo in repurgatam a corruptelis Pontificiis religionem amore, ecclesiastrumque ditionis suae egregio commodo ac securitati prospiciendi voluntate, praefatus, singulari cum gratiae suae significatione, iisdem Consistorium Lipsiae instituendi copiam optimus fecit Princeps. \*\*) Num autem re ipsa, ab his, hocque anno, Consistorium aliquod Lipsiae fuerit constitutum, non sine causa dubitamus; si quidem nullum actorum illius vestigium extat, nec quidquam de eo ullibi relatum legitur; quin non solum, qui de rebus Lipsiensibus exposuerunt,

scri-

\*) l.c. §. 110, p. 455.

\*\*) Disertissima hac de re verba sunt mandati: Derohalben haben wir euch, als gottesfürchtige, gelehrte und verständige Personen in Unserer Universität zu Leipzig (welche Wir auch darum begnadet und begabet, daß wir gelehrte, fromme und verständige Männer darzu zu haben verhoffen, welche diesem Vaterlande und vielen dienen könnten) auserlesen, die in denen Sachen, das Göttliche Wort, und den Christlichen Wandel und Ceremonien belangend, ratthen, lehren und dienen könnten. Und begehren demnach, ihr wollet hinförder in allen stücken die Lehre des Göttlichen Worts, Christliche Ceremonien, Ethesachen, und was wir vor euch weisen werden, ein Consistorium zu Leipzig anrichten, halten und üben, sc.

scriptores, inter quos primas facile tenet D A V . P E I F E R V S , de illo tacent, sed etiam contra ea ad annum demum quinquegesimum plerique omnes referunt facri consistorii hac in vrbe constitutionem. \*) Itaque vero simile nobis videtur, mandati huius, quod SECKENDORFIVS primum produxit, tunc quidem suspensam fuisse executionem, eiusque rei hanc fuisse causam, arbitramur. Nempe, cum paulo post, in eunte videlicet quarto et quadragesimo anno, Martisburgensis Praeful, SIGISM. LINDENAVIVS, obiisset, accidit, ut MAVRITII frater, AVGVSTVS, Episcopatus praeficeretur administrationi, eique GEORGIVS, Anhaltinus Princeps, in rebus, quae spirituales dicuntur, Coadiutor adiungeretur. Hic igitur, eximia pietate, excellentique rerum diuinarum scientia praeditus, Princeps, pro mandati sibi muneric ratione, res ad ecclesiasticam spectantes iurisdictionem, summa fide, studio ac dexteritate, curavit. \*\*) Postea-

\*) IOH. SEB. MÜLLERVS quidem in *Annalibus Saxonicis*, p. 99, Consistorium ecclesiasticum a Duce MAVRITIO Lipsiae, anno 1543, constitutum fuisse, refert; sed rescripto, a SECKENDORFIO prolatō, inductus, constitutionem illius re vera factam est credidisse videtur. Idem hoc persuasum sibi habuit Illustris BOEHMERVS, cum in *Iure Eccles. Protestantium*, L. I, tit. 23, §. 13, p. 607, itemque §. 54, p. 648, primi Consistorii Lipsiensis mentionem facit; vbi simul in eo errat, quod non solum eos omnes, ad quos rescriptum istud a MAVRITIO datum est, Professores vocat, sed etiam in Consistorio Lipsiensi aequē, ac Vitembergensi, hodienum ex ordine Professorum assessores constituti, ait, eiusque rei ordinem ex primo repetit Consistorio Lipsiensi.

\*\*) Vid. SECKENDORF. l. c. §. 17, p. 497; vbi dé suscepta ab AVGVSTO Praefulatus Martisburgensis administratione, et ab hoc

## X

Posteaquam autem, Smalcaldico bello infeliciter gesto, Praefulatus Martisburgensis, cuius administratione sponte se abdicauerat AVGVSTVS, ex Caesaris voluntate, MICHAELI cederet HELDINGO, \*) seu, vt vulgo vocari solet, SIDONIO, Pontificiae adhaerescienti religioni; tum demum Dux Saxo, Electorali auctus dignitate, MAVRITIVS, ecclesiasticum, quod Martisburgi adhuc fuerat, iudicium Lipsiam transluit, eique Theologos duos, totidemque Iurisconsultos praeesse iussit; id quod quinquagesimo contigisse fertur anno. \*\*).

Sed, vt ad ea, quae, tertio et quadragesimo anno, a Duce MAVRITIO, egregio ecclesiae nostrae euangelicae bono, gesta sunt, enarranda pergamus, singulari commemoratione digna est trium scholarum provincialium, quae *ilustres* inde vocari solent, fundatio. Etenim quanto id, quam-

hoc GEORGIO Anhaltino tradita sacrorum cura, agens, eidem, MAVRITII consenuit, ecclesiasticam districtus Lipsiensis, et Thuringiae, quatenus sub ipsis erat ditione, inspectionem commissam fuisse, refert. Conf. ERN. BROTVFF, *Chronic.* Martisb. L. II, cap. 61, fol. 104; et IOACH. CAMERARIUS, in *Narratione de GEORGIO, Principe Anhalt.* p. m. 23, sqq.

\*) Huius vita, ex diuersis autoribus a IAC. THOMASIO digesta, exhibetur *Observationum Select.* Halens. Tomo I, p. 60, sqq.

\*\*) Vid. DAV. PEIFFERVUS, *Rerum Lips.* lib. III, §. 4, p. 386, s. LAVR. PECCENSTEIN, *Theatr. Saxon.* P. III, p. 90; TOB. HEIDENREICH, *Chronic.* Lips. p. 144; ZACH. SCHNEIDER, *Chron.* Lips. lib. VII, p. 351; IOH. IAC. VOGEL, *Annal.* Lips. p. 189.

quamque insigni, sacrae pariter, atque publicae rei futurum  
esset emolumento, si adolescentes bonis litteris artibusque  
ad humanitatem informarentur, veraeque in primis religio-  
nis principiis, ad sacrarum litterarum prae scriptum, animi  
eorum imbuerentur, cum in animo secum consideraret, pro-  
spiceretque celissimus Heros, huiusmodi ecclesiae ac reipu-  
blicae seminariis condendis curam, operamque impendere,  
prudentissimo consilio, animum induxit. \*) Itaque tres lit-  
terarum constituit ludos, vnum *Misenae*, in coenobio, di-  
uae Afrae ab REINERO, Miseneri praefule, sexagesimo  
supra millesimum anno, dicato, alterum *Marrisburgi*, hinc,  
aliquot annis post, *Grimmam* translatum, et in Augustinia-  
no monasterio collocatum, tertium in *Portensi*, prope Num-  
burgum, Cisterciensis antea ordinis, coenobio; nec modo  
singulis, ex vacantibus monasteriorum bonorumque ecclesia-  
sticorum redditibus, \*\*) quantum praecceptoribus discipulis-

B 2

que,

\*) MAVRITIVM ipsum, consilium hocce suum in supra lau-  
data *Constitutione* edidissentem, audire, iuuat. Und nach-  
dem zu Christlicher Lahr und Wandel, auch zu allen guten  
Ordenungen vnd Polizey von nöten, daß die Jugend zu Göt-  
tes Lobe vnd in gehorsam erzogen, in den Sprachen vnd  
Künsten, vnd denn vornehmlich in der heiligen Geschrift ge-  
lernet vnd unterweiset werde, damit es mit der Zeit an Kir-  
chendiern vnd andern gelarten Leuten in vnsren Landen nicht  
mangel gewinne, Seind wir bedacht von den verledigten Elö-  
ster vnd Stiftsgütern, drey Schulen auffzurichten &c. &c.

\*\*) Ita nimirum curae cordique habuit optimus Princeps, ve  
coenobia, eorundemque bona et possessiones in vere  
pios saluberrimosque ecclesiae usus conuerterentur. Lu-  
culentissimum eius rei, et ad retundendas aduersariorum ca-  
lumnias

## XII

que, definito numero, alendis sufficere videbatur, assignauit,  
sed etiam formam illorum gubernationisque determinauit  
rationem. Praeclarissimum hoc MAVRITII institutum  
SLEIDANVS his commemorat verbis: *Deinde, quoniam  
inuentus est veluti seminarium tam ecclesiae, quam reipubli-  
cae, tres litterarum ludos instituit, Misenae, Merseburgi,  
Portae: singulisque locis certum numerum attribuit adole-  
scentum; his omnibus vietum praebet atque vestitum, magi-  
stris etiam annua stipendia soluit, et ad hunc usum applicat  
eorum*

lumnias criminationesque validissimum, argumentum praebent illustres hae scholae pariter, atque Academia nostra Lipsiensis; tum verbi diuini ministris ac iudimoderatoribus ex bonorum ecclesiasticorum prouentibus adiudicata salario-rum augmenta. Cedro digna sunt, quae hanc in rem in saepius iam memorata Constitutione Provinciali leguntur, verba: Und nachdem zu anrichtung einsmals, vnd darnach zu unterhaltung dieser Schulen, auch der Zusage der Kirchen und andern Schulendienern, vnd der Universitet jährlich eine stadtliche Summa Geldes von noten, vnd Wir im Anfang vnsrer Regirung, vieler Stifte vnd Clöster Güster, in vnsren Landen verlebtigt besunden, vnd sich deren noch mehr sieder der Zeit vertetzt, haben Wir mit Nach vnd vorswissen des grossen Ausschus beider vnsrer Lande, Düringen und Meissen, verordnet, daß solche verledigte Clöster, Ge- stifte vnd Stiftungen, gütter vnd einkommen, zu solchen Schulen, unterhaltung der Kirchendiener, vnd bessirung vnsrer Universitet, wie obgemeldt, so viel die noturst erforderet, in ewigkeit sollen gebraucht werden. Eadē mente fuit Princeps Elector Saxo, AVGVSTVS, qui a fratre instituta omnibus perfecit modis, remque sacram et litterariam ingenti auxit incremento.

eorum collegiorum prouentus, in quibus aliquando monachi vixerant, et id genus alii: studiosis concedit sex annos, ut ibi doceantur.<sup>\*)</sup> Quam salutare autem hoc ipso, quamque fructuosum patriae nostrae rebus MAVRITIVS ceperit consilium, euentus comprobavit; siquidem ex illustribus hisce scholis, in quibus ingeniorum praestantium culturae pariter, atque bonarum mentium necessitatibus egregie profus consulitur, nouis deinde Pr. El. AVGVSTI legibus atque institutis, tum Serenissimorum omnium Augustissimorumque Patriae Patrum singulari prouidentia, munificentia que, constabilitis, emendatis, auctis et amplificatis, magno semper numero prodierunt, qui, humaniorum maxime litterarum doctrina excuto probiter animo, in Academias delati, eo cum successu ad altiora progressi sunt studia, ut aptos idoneosque se reddiderint, qui grauissimis in ecclesia ac re-

B 3

publica

\*) SLEID. *Commentar. lib. XV*, p. 427. Add. SECKENDORF. *I. c. §. 110, p. 45*, ac, praeter alias complures, GEORG. FRICIVS, *Annal. Vrbis Misn.* lib. III, p. 194, seqq. et IV. STIN PERTVCHIVS, *Chron. Portens.* lib. I, c. 2, p. 47, et lib. II, p. 1, seqq. quippe qui speciatim de illustrium scholarum, *Misenensis* ac *Portensis*, constitutione, rebusque ad eas pertinentibus, exposuerunt. Ceterum, silentio hic prætereundum haud esse videtur, quod, cum harum utriusque alter, hoc ipso anno, illuxerit natalis secularis, summi magistratus indulgentia, illustre quidem Afraneum, quatuor ferme abhinc mensibus, Iulii videlicet tertio, quarto et quinto die, sacrum seculare celebrauerit secundum; quod, quo modo peractum fuerit, ex tabula, qua V. Cl. M. THEOPHILVS GRABENERVS, meritisimus eiusdem Afranet hodie Rector, illud ipsum indixit, cognosci potest; illustris autem *Porta* eodem pietatis officio proxime instantे mense Nov. sic perfunctura.

## XIV

publica muneribus, magno utriusque cum emolumento, praeficerentur. Quin etiam in eo hodieque illae ipsae sunt statu, ut antiquum decus suum cum laude seruent, atque tueantur.

Iamque venio ad propensissimam laudatissimi Principis in Academiam nostram Lipsiensem voluntatem, tot, tamque illustribus hocce anno declaratam documentis, ut nulla dicendi aut scribendi tanta sit vis, tanta copia, quae, non dicam exornare, sed enarrare maxima et immortalia MAVRITII beneficia possit. Nos ea, quae copiosissime dici possunt, pro instituti nostri ratione, breuiter, strictimque exponemus. Primum igitur dicendum est de legibus Academicis, MAVRITII iussu et auctoritate, compositis fancitisque. Posteaquam enim, HENRICO Paue moderatore, euangelicam doctrinam, in Augustana propositam confessionem, publica solennique declaratione, suscepserat Academia Lipsiensis, necesse omnino erat, ut ad emendatam religionem emendatae accederent leges. Eam igitur curam cogitationemque suscipiens MAVRITIVS, delectis ex Academie Ordinibus viris, ac praecipue IOACH. CAMERARIO, id mandauit negotium, ut recognoscendis, et ad nouum, eumque auspicatissimum, ciuitatis huius litterariae statum conformandis legibus operam darent; eoque facto, conditas, confirmatasque a se leges, quibus cum Viuieritas, tum quatuor in ea ordinis, dehinc vterentur, hoc ipso tertio et quadragesimo seculi XVI anno, in publico conuentu, die Lunae p. Dom. Iubilate, \*) promulgandas curauit.

Incredibilis iam porro praedicanda est MAVRITII beneficentia, qua, nouis stabilitam legibus, hanc Academiam mirifice amplificauit. Etenim non solum Paulinum, ab ordinis Praedicatorum fratribus derelictum, monasterium, cum

templo

\*) vid. VOGEL. *Annal. Lips.* p. 152.

templo, domibusque aliquot contiguis, ac Bibliotheca, egregiis inde, laudatissimi Principis indulgentia, accessionibus locupletata, sed etiam pagos quinque, cum filia, ei donauit, horumque prouentus augendis Professorum salariis adiudicauit; tum vero pauperibus, doctrinarum, sacrarumque in primis litterarum studiosis stipendia constituit, sexcentosque frumenti modios, quotannis praebendos, publico conuictui instituendo assignauit. \*) Ita vero incomparabilis

Heros

- \*) Excellentissima haec, quibus Dux Saxo, MAVRITIUS, Academiam nostram affecit, et quibus ea hodienum fruitur, beneficia in *Constitutione dicta Provinciali* enarrantur. Authentica autem donationis huius documenta in Academiae tabulario asseruantur. In his ipsum est diploma, quod suo, fratrisque AVGVSTI nomine, MAVRITIUS, die 22 Apr. a. 1544, dedit, quoque donationem eam, quoad omnia atque singula, confirmauit; tum vero Principis ad CHRIST. CAROLOVITIVM, Praefectum Lipsiensem, mandatum, quo ille monasterium Paulinum, ac quinque pagos, qui in coenobii Thomani antea fuerant possessione, in annuae 2000 florenorum, ex monasteriis Petromontano et Pegauensi soluenda, pensionis locum surrogatos, itemque filiam Vniuersitati tradere; ac de conuictu apparando cum IOACH. CAMERARIO, t.t. Rectore, et C ASP. BORNERO consilia conferre, iussus est. Magni nimirum BORNERI, in hisce bonis, a MAVRITIO impetrandis pariter, atque ex voluntate ipsius, Academiae commodo, emolumentoque, ordinandis, fuit opera; quamvis omni eam rem impenso, Herculeo fere, labore, parum, ut fieri solet, a plerisque inierit gratiam. Insignia autem haec illius in aliam matrem promerita, praeter DAV. PEIFERVUM, Rerum Lipsiensium lib. III, §. 88, p. 377, sqq. in primis celebravit IOACH. FELLERVS, in rediuvia D. CASP. BORNERI memoria, quam Catalogo Codd. MSS. Bibliothecae Paulinae, a. 1686 edito, praemisit, p. 29, sqq.

## XVI

K 2771. 04

Heros Philyream nostram valde a se adamari, \*) ipso facto, admirabilem in modum demonstrauit, hancque liberaliter adeo exornando, simul ecclesiae euangelicae saluti ac perennitati egregie prorsus consuluit atque prospexit. Florentibus enim scholis, Academiisque, in quibus bonaे litterae ac liberales traduntur artes, et ad veram diuinarum humanarumque rerum scientiam salutari iuuenes erudiuntur doctrina, floret ecclesia, salua est res sacra, et puriori religioni dignitas decusque suum constat. Quem ad modum enim huius restitutionem, singulari Dei prouidentia, litterarum praecellit instauratio, plurimumque ei profuit, ita litterarum studia, vbi rite illa coluntur, liberaliterque fouentur, ad veram religionem sartam teatam quo conseruandam, eximium praestant adiumentum.

Pluribus id demonstrabit, ac speciatim, quanto, quamque insigni, renatae, seculis XV et XVI, bonaе litterae atque artes emendandaе religioni fuerint subsidio, ostendet, cui, in proxime instanti, anniuersariae instauratae, B. LUTHERI ministerio, religionis euangelicae memoriae dicato, die festo, oratoris partes demandauimus, Nobilissimus Dn. FRIDERICVS BOERNERVS, *Lipsiensis*, humaniorum, sacrarumque litterarum cultor. Ad eum igitur H. L. Q. C. perbeneuole audiendum, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQVE REIP. PROCERES GRAVISSIMOS, GENEROSISSIMOS item, ac NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES, officiose peramanterque inuitamus. P.P. Lipsiae, Dom. XX p. Trinit. A. R. S. CIC 10 CC XLIII.

\*) Memoriae proditum est, MAVRITIVM aliquando, praesente STRAMBVRGO, Academiae Syndico, dixisse: *Ego ita erga Vniuersitatem Lipsensem me geram, ut nemo non intelligat, illam valde a me adamari.* Praeclarissimam hanc optimi Principis vocem dignè praedicauit FELLERVS, l. f.c. p. 36.

---

LITERIS LANGENHEMIANIS.







Q.B. 23 (II) I. 268.  
de Mauritiū Duc. Saxon. in eccl.  
el Academiam Lipsiensem ab 1543.  
et de iis quo 1543. in causa reli-  
gionis acta sunt.  
Vc  
2771

RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIENSIS  
AD  
INSTAVRATAE  
RELIGIONIS EVANGELICAE  
MEMORIAM  
ANNIVERSARIO SACRO  
PRIDIIE CAL. NOV. A. CCCCCXLIII  
IN AEDDE PAVLINA  
CELEBRANDAM  
INVITAT